DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

EPILEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS BEAMISH,

HIBERNUS;

SOC. REG. PHYS. SOC. HONORAR.

Ad diem 25 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

AUCTORE FRANCISCO BEAMISH.

Formae, ſub quibus convulſiones, corpus humanum aggrediuntur, plurimum ſunt diverſæ; nulla frequentius ocurrit, quam illa ſpecialis, quam Epilepſiam medici nuncupant. Hujuſce morbi *funeſti*, etſi auctores celeberrimi multum laboris atque ingenii impendere, in cauſâ proximâ explanandâ, atque certa ratione medendi inveniendâ, notitia tamen noſtra adhuc admodum contracta et incerta eſt. Cum ſumma igitur timiditate ſymptomata delineare aggrediar,

prout

prout in horrenda ſerie, miſerum ægrum invadere videntur, nequaquam ſperans, aliquid novi, vel theoriæ vel praxi addere, ſed hoc ſolo propoſito, ut quam pauciſſimis, in unum, colligam obſervationes, quas ex libris variorum, et prælectionibus, celſorum hujuſce univerſitatis profeſſorum, ſelegere poſſim.

DEFINITIO MORBI.

Epilepſiæ inter varias definitiones, quas auctores ediderunt, nulla cum Culleni, conferri mihi digna videtur; illius igitur verbis, haud dubito uti; "muſculorum convulſio cum ſopore."

HISTORIA MORBI.

Hicce durus hoſtis, diuturnitati atque oblectationibus vitæ, tam iterationibus crebris, quam magno impetu aggreſſionum, miſerum ægrum, in

loco

loco voluptatum, quas amisit, miseriis atque doloribus gravissimis tradit. Aliquando acutâ sub formâ se ostendit, *i. e.* primo vel secundo ingressu, vitam extinguit, quod raro tamen accidit, aliquando magna cum acerbitate, per totum vitæ longæ decursum perstat. Paroxysmi, magna ex parte, inopinato adoriuntur. Aeger, qui paulo ante optime se habere videbatur, paroxysmo repente invaditur, qui paulisper perdurans decedit, quod ad externam faciem, valetudine pristinâ parum mutatâ. Post primam vel secundam, harum aggressionum, symptomata quædam reditum ejus indicantia haud raro observantur. Qualia sunt hæc symptomata, in sequenti parte historiæ, enumerare statuo.

Paroxysmo jam formato, æger, omnem sensum, atque motus voluntarii potestatem amittit, adeo ut, si tunc temporis ambularet, humi violenter prosternitur, eodem tempore ejulationem tam terribilem edens, ut astantes horrore quatiat. In hoc statu convulsiones validæ omnes

nes corripiunt musculos, artus truncumque quaquaversum trahentes; unum latus præcipue laborare videtur; sed omnium partium corporis, in nulla, magis quam in facie, severitas convulsionum tam clare sese ostendit; alternæ faciei et oculorum contractiones, relaxationes, contortionesque, varias indicare videntur affectiones, quibus mens ægri agitatur, veluti lætitiam, tristitiam, iracundiam, melancholiam, &c. stant comæ, musculus occipito-frontalis spasmis violentis est correptus, et sensus externi omnino in præsens suspensi; musculi linguæ, adeo fortiter convelluntur, ut hanc, per dentes protrudant, et inferioris musculi maxillæ, eodem tempore affecti, os subito claudunt; hoc modo lingua admodum læditur, sanguineum præbens colorem spumosæ salivæ, quæ ore emanat. Maxilla inferior haud raro in superiorem tali vi est percussa, ut dentes rumpantur, et maxillæ sæpe luxentur; oculi aliquando sunt fixi, aliquando adeo velociter volvuntur, ut fere ex acetabulis amoveri videantur, tunicis

albugineis folis apparentibus: has convulfiones oculorum, ftrabifmus excepit, aliquod durans in tempus, etiam finito paroxyfmo. Facies turgida fit et lividum induit colorem, fub oculis et in labiis primo apparentem, pollices magnâ vi contrahuntur, et in palmas flectuntur; extremitates fuperiores inferiorefque huc et illuc celerrime agitantur, caput fecundum varias colli mufculorum contractiones, quaquaverfum torquetur, nunc in fcapulam, nunc in fternum, et aliquando nulla vi, e fitu erecto flecti poteft. Hæ convulfiones paulifper remittuntur, brevi iterum rediturae.

Ab effectibus, qui, in fecretiones et excretiones, inter paroxyfmum manifeftantur, nihil dubii manet, quin partes internæ, æque ac externæ convelluntur: faliva, prius parca, nunc libere emanat, fæces atque urinæ infcie redduntur, in infantibus, penis erigitur, et urina fæpe longe projicitur, adultorum femen emittitur. Convulfiones, certo intervallo, omnino defi-

nunt,

nunt, æger omni ſenſu expers, ſomno profundo obruitur; in hoc ſtatu, aliquod per tempus permanens, interdum ſubito, maxima autem ex parte paulatim, priſtinam animi corporiſque vim recuperat, minime in animo tenens, quod, inter paroxyſmum acciderat, ne ejulationem etiam, quam adeunte paroxyſmo edidit. Pulſus per paroxyſmum ſemper frequens eſt, et irregularis, et reſpiratio laborioſa, hoc vero deceſſo, naturales fiunt. In gradibus hujus morbi acerrimis, ex ore atque auribus, mitti dicitur ſanguis; aliquando, per paucos dies, poſt paroxyſmi deceſſionem, memoria adhuc debilis manet, cum dolore atque gravedine capitis, ſtupore, viſus hebetudine, torpore, faciei pallore, et omnium artuum dolore; haud infrequenter, paucis horis elapſis, nullum morbi veſtigium permanet, uſitatum vero poſt intervallum, omnibus cum prædictis ſymptomatis iterum recurrit. Hæc intervalla, in variis hominibus, (quoad durationem) inter ſe admodum ſunt diverſa, nunc etiam regularia, nunc abnormia fiunt.

Etſi hicce morbus, primo aggreſſu, inopinato invadit, nihilominus reditus ejus haud raro a quibuſdam ſequentium ſymptomatum plane indicatur, viz. ſtupore, debilitate generali, ſenſuum perturbatione, vertigine, tinnitu aurium, ſomno turbato, palpitatione, timiditate univerſali, viſus hebetudine, præcordiorum diſtenſione, ſenſu quaſi ponderis in caput incumbentis, reſpiratione difficili, pallore faciei, ſomniis horrificis, dejectionibus fætidis, urina auctâ, extremitatum frigiditate, guſtu atque odore ingratis; denuo ſcintillæ per aërem volitare videntur, quæ aliquando magnitudine augeri, paulatim apparent, donec æger epilepticus decumbit; vel ſenſationem, ſui ipſius generis, in remota aliqua corporis parte incipientem, percipit, quâ, demum in caput aſcendente, ſenſu omni æger privatus, in paroxyſmum incidit. Hic motus, ſecundum ægri peculiares ſenſus, interdum vapori frigido, interdum fluido per cutem labenti, haud raro etiam

infectæ

infectæ repenti, aſſimilatur: hæcce affectio a medicis aura epileptica vocatur.

In progreſſu morbi, æger fatuus et hebes fit, et ſi exitus lethalis futurus eſt, in varios morbos, mortis prænuncios, incidat; apoplexiam, paralyſin, melancholiam, maniam, et aliquando, (raro autem) tetanum, quorum quivis, cito miſeri ærumnis finem imponit.

DE CAUSA PROXIMA.

Me, pro certo epilepſiæ proximam cauſam daturum, nemo, qui obſcuritatem ſcit, ideoque opinionum diverſitatem, de ſenſus motuſque origine, poſtulabit, et in hac lite, minime me implicare volo. Celeberrimus Cullenus hiſce verbis proximam cauſam tradit: "It is an "affection of the energy of the brain, which, "ordinarily under the direction of the will, "is here, without any occurrence of it, impel-

"led

"led by preternatural causes." Multum finita est notitia nostra, de cerebri mechanica conditione, sub actione ordinaria voluntatis, multo minus expectandum, ut pro certo, explicare possimus, conditionem ejus sub præternaturali actione, quæ in hoc morbo excitatur. Ex hoc incerto statu, proximæ causæ, videre licet, methodum curandi nequaquam ex hac pendere; nihilominus, qui animum ad remotas causas diligenter vertit; multa utilia præcepta ad methodum curationis dirigendam, acquirat, necesse est. Has igitur causas, hic, monstrare conabor, et quantum in me est designare, quomodo harum notitia in morbo alleviando, vel omnino removendo, auxilium præbeant. Causæ remotæ sunt occasionales, sive excitantes et prædisponentes, quarum posteriores, corpus morbo opportunum reddunt; priores duæ, corpori sic prædisposito, malum recte inducunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Hafce caufas, in duo capita, dividere mihi idoneum videtur; ad unum quorum, referantur caufæ, quæ vim cerebri proxime excitant, ftimulantque; ad alterum, quæ in hoc organum, contrarium effectum edunt. Horum prius, in duo altera adhuc dividere liceat, viz, quæ in cerebrum primario agunt, et quæ remotam aliquam corporis partem, primo afficiunt, indeque ad cerebrum deferuntur. Caufæ excitantes primario in cerebrum agentes, quatuor in capita, dividantur. Hæc funt

a. Stimuli mechanici;
b. Stimuli chemici;
c. Stimuli mentales; et
d. Pecularis ille nimiæ diftentionis.

Stimuli

Stimuli Mechanici

Sunt, corpora in cranium penetrantia, et cerebrum ipſum, vel membranas ejus lædentia, fruſta oſſium fractorum, exoſtoſes in interiori parte cranii creſcentes, vel membranæ ipſæ oſſificatæ.

Stimuli Chemici

Sunt, fluida a variis cauſis, in diverſis cerebri partibus, depoſita, quæ ibi acrida fiunt, et texturam cerebri teneram, nervorumque irritant, læduntque. Hæc fluida, multis cauſis originem debent, abceſſibus et ſuppurationi cerebri, vel membranarum, et materiæ acri ab cranii carie effuſæ, quæ partes vicinas erodit; et effuſioni in ventriculos, ab inflammatione, vel aucto ſanguinis impetu, vaſa cerebri ortæ.

Inter

Inter has caufas, hic enumerare liceat variolæ, rubeolæ, et aliorum exanthematum eruptionem, quæ in his morbis, acre aliquid, cerebro nervifque applicando, epilepticum aliquando paroxyfmum inducere videtur.

Stimuli Mentales

Sunt lætitia vehemens, ira ferox, mæftitia dura, attentio rebus domefticis nimia, applicatio valida literarum ftudiis, et demum quicquid animum plus æquo afficit. Lætitia fatis manifefta caufa excitans videtur, ab actione directa, quam in vim cerebri exerit. Ira autem, alio quoque modo effectus fuos edit, fyftema fanguiferum, mirum in modum commovet, magnam vim fanguinis et maximo impetu in caput propellit, peculiarem illam nimiæ diftenfionis ftimulum inducens. Inter has caufas enumerare liceat, quod haud raro occurrit, viz. aftantes, paroxyfmo laborante intuentes, fimili

mili modo ipſos morbo corripi. Adhuc inter medicos lis eſt, utrum horrori, quo violentes artuum agitationes, et faciei terribiles contortiones ſpectamus, vel viribus imitationis, hoc tribuendum ſit; quam magnopere, vis imitationis, in animis noſtris pollet, ab teneris infantiæ annis, ad provectiores ſenectutis, valde et pulchre in verbis celeb. profes. Gregorii profertur. "Iſta (inquit) imitatione multa diſcimus; "multa facimus; imitatur nondum conſcius "infans quicquid vel videt vel audit, et vir "adultus et ſuæ ſpontis inſcius et invitus tan- "tum adhuc imitatur ut hominum quibuſcum "verſatur mores, et ſermonis prolationem "quamvis ſaepe nolens acquirat." Epilepſiam, in hoc modo inductam, imitationi magis quam horrori tribuendam eſſe, vereſimile videatur, ſi animum intendimus, ad proclivitatem noſtram, alios motus convulſivos imitare, quales, riſum, vomitum, oſcitationem, &c. horrore ne minimo præſente. Obſervatu præterea dignum eſt, mendicos, qui epilepticos

paroxyſmos

paroxyſmos in viis, ad miſericordiam ciendam et pecuniam eliciendam, ſimulant, revera malum inducere, et cauſticum acerrimum ſine ulla doloris ſpecie tolerare poſſe; talis eſt vis conſuetudinis.

Stimulus nimiæ diſtentionis.

Diſtentionem nimiam, cerebri vaſorum, cauſam excitantem epilepſiæ, exiſtere, haud dubitabimus, ſi conditionem cerebri, poſt diſſectionem ſpectemus. Congeſtionis ſigna omnia ſeſe oſtendunt; ſcilicet vaſorum inturgeſcentia, effuſiones ſanguinis, ſerique, quas ſemper congeſtio cauſam agnoſcit. Hæc opinio adhuc magis vereſimilis videbitur, ſi in memoria habeamus morbos, qui epilepſiam comitantur; omnes a congeſtione in capite, oriri videntur, veluti cephalalgia, mania, apoplexia, paralyſis &c. Aliæ etiam conſiderationes huic favent opinioni: ſtatus ſyſtematis plethoricus epilepſiæ ſemper

per proclivos reddit, omnes caufæ fortuitæ quae congeftionem in vafis cerebri augent, veluti ira, calor plurimus, exercitatio valida, crapula cibi potufve, inebrietas, caufae excitantes epilepfiæ funt. Tumores, exoftofes, vafa vicina comprimendo, et fic reditum fanguinis liberum a capite impediendo, congeftioni favent. Eundem effectum, habent, fuppreffio menfium et fluxus hæmorrhoidalis.

Omnibus caufis, quæ primario in cerebrum agunt, jam enumeratis, nunc pauciffimis monftrare nitar, caufas, quæ primo, in remota aliqua parte corporis fe oftendunt, indeque in cerebrum deferuntur; ex iis funt, infantium dentitio, vermes, aciditas, acris aliqua materia, in primis viis irritationem gignentia, calculi in renibus, eruptiones retropulfæ, variolæ, rubeolæ, quæ haud raro in infantibus epilepfiam inducunt, et poftremo peculiaris illa irritatio, aura epileptica dicta, de qua fupra memorabatur. Caufæ, quæ vim cerebri manifefto minuunt,

unt, et per collapſum agunt, ut Cullenus dicit, hæmorrhagiæ ſunt profuſæ, vel natura vel arte inductæ, timor ſubitus inſperato aliquo malo inductus, cujus bonum exemplum præbet nauta, qui naufragii inſtantis timore correptus, epilepticus concidit. Vis autem terroris in epilepſia inducenda, nuſquam melius, quam in operibus Celſi, van Swieten, illuſtratur. "Puer(ait) "a cane magno inſiliente ita terrebatur ut paulo "poſt conciderat epilepticus, et poſtea, dum ma-"jorem canem videret vel aut latrantem au-"diret, rediebat paroxyſmus;" et aliæ ſunt cauſæ hujusmodi e quibus epilepſia oriatur, veluti horror, odores nonnulli ingrati, venena quoque, quædam vegetabilia et foſſilia, quæ ſæpenumero hunc morbum, mortis nuncium, præmittunt.

DE

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Utpote caufae excitantes epilepfiae, non omnibus quibus applicantur, morbum inferunt, ftatus quivis proprius fyftematis, ad operationem harum caufarum favendam neceffarius videtur. Hicce vero ftatus quicunque eft, nequaquam in lucem adhuc prolatus fuit. Praecipua caufa praedifponens debilitas effe videtur, quae mobilitatem quamdam generis nervofae inducendo, corporis irritabilitatem fenfibilitatemque auget, et opportunum reddit, caufis excitantibus affici, quarum pleraeque leviffimae funt. Hanc mobilitatem, epilepfiae praedifponere ab fequentibus confiderationibus, verifimile fit; mobilitas animi huic morbo proclivos plerumque comitatur. Spes aeque fubita inflat, ac timor detrudit, nunc hilares funt, atque jucundi, nunc iracundi atque morofi. Inde fit, ut mulieres et infantes, in quibus, haec mobilitas, omnibus apparet, huic

morbo potiſſimum ſunt obnoxii: mobilitas, ab ſtatu innati ſtaminis pendere videtur, et certo tempore vitae acutior redditur; multas quoque mutationes per vitae ſpatium ſubit, a parentibus ad liberos tradi videtur, ideoque, morbus haereditarius epilepſia a quibuſdam putatur.

Hydrargyrus in corpus ſive fortuito, ſive cum propoſito introductus, haud raro epilepſiam inducere repertus fuit. Opifices metallis inaurandis occupati, ſaepe tremore manuum invaduntur, cum paralyſi et epilepſia, quae nullam aliam cauſam praeter hydrargyri abſorptionem agnoſcere poſſunt. Alia et cauſa corpus huic morbo praediſponens, eſt ſomnus; paroxyſmi multos epilepticos ſolummodo inter ſomnum invadunt, cujus exemplum, a de Haen traditur; viz. pueri in quo, paroxyſmi ſaepius redierunt inter *ſomnum*, praecipue peculiarem illum ſtatum ſomni, cum torperet vel ſterteret. Naturali placido et levi ſomno ab opiatis impetrata, brevi omnino ſanatus fuit. Inter cauſas praediſponentes, plethora

plethora attentione plurimum digna videtur. Plethora ad illum ſtatum ſyſtema reducit, in quo, cauſae utpote leves, ſanguinis profluvium in caput cient. Libido venerea, etiam intemperantia, locum inter hujus morbi cauſas tenent.

DE DIAGNOSI.

Etiamſi varia phaenomena quae in epilepſia occurrunt, et quae jam enumeravi, ſatis clare videantur, diagnoſin ejus formare, nihilominus quum aliquid ſimilitudinis inter hanc et apoplexiam hyſteriamque ſe oſtendit, paucis verbis horum diagnoſin oſtendere nitar. Ab apoplexia facile dignoſcitur, Epilepſia motiones voluntarias obſervando, in priore omnino ſunt ſuſpenſae, in poſteriori morbide auctae. Ab Hyſteria violenta multo difficilius diſtinguitur, attentione autem ſequentium habitâ ſignorum, raro ſi unquam aberrare queamus. 1mo, In Hyſteriae paroxyſmo, globus hyſtericus ſemper occurrit, nunquam

in

in epilepsiâ. 2do, In epilepsia sensus et memoria omnino sunt suspensi; inter paroxysmum quem somnus validus semper excipit, hystericae e contrario non solum auditus et visus potestatem retinent, verum etiam omnia quae inter paroxysmum accidere, in memoria plerumque tenent. 3tio, Timor mortis Hystericos valde agitat, epilepticos minime. 4to, Magna copia urinae limpidae paroxysmum hystericum plerumque praecedit. 5to, Oris spuma semper epilepsiam comitatur, raro hysteriam. 6to. Hysteria ante pubertatem raro sese ostendit, epilepsia hoc tempore plerumque occurrit. 7mo, Hysterica alterne risus edit, lacrymasque effundit. 8vo, Hysteria fœminas maxima ex parte, vel potius solummodo, aggreditur. Postremo in hysteria vel epilepsia simulata, candela accensa proxime ante oculos gradatim allata, pupillam dilatatam se coarctare facit, in epilepsia vera hoc non obtinet.

DE

DE PROGNOSI.

De morbo adeo incerto quoad terminationem, et cujus curatio ſtabilis ſic raro impetratur, prognoſin formare admodum difficile eſt. Si ex cauſis oriatur, quae ab cerebro originem ducunt, et effectibus ſatis manifeſtantur, ſi aeger pubertatis aetatem praeteriiſſet, ſi ſaepius paroxyſmi recurrant, et functiones animi aeque ac corporis, omnino deleri minitentur, ſi aeger fatuus et torpidus fiat, et demum ſi mutationes quae in ſyſtemate pubertatis tempore oriuntur, nullum habent effectum in morbo amovendo, vel ſaltem alleviando, remediorum uſus, utcunque ſedulus incaſſus futurus videatur. Cum nulla praeeuntia ſymptomata paroxyſmi acceſſum indicarint, quum ex magno ſubito naſceretur timore, vel ſyſtematis naturali mobilitate, cum corpus totum valida convulſione laboraret, et reſpiratio difficilis evaderet, cum vultu levido, halitus ſtertore, cum intervallis paroxyſmus brevibus recurrat, ſomno

valido

valido excipiente, apoplexia lethalis ab ruptura capitis vaſorum timenda eſt. Quando e contrario nondum pubertatis aetatem aeger adipiſceretur, etſi aura epileptica praeiret, et quando haud manifeſte ab labe haereditariâ ortum duceret, et nondum longum tempus duraverit, ſpes curationis minime abjicienda eſt. Specierum hujus morbi ſympatheticarum prognoſis, maxima ex parte, ab natura affectionis primariae pendet.

DE METHODO MEDENDI.

In methodo noſtra curationis tentanda, indicationes duas Generales nobis exaequendas proponemus; in cauſis occaſionalibus evitandis prima abſolvitur; ſecunda, in cauſis praediſponentibus amovendis vel moderandis conſiſtit. Indicatio prima, dummodo cauſas excitantes, quas nobis in promptu eſt corrigere, ſatis compertas habeamus, facile perficitur. Quoniam vaſorum capitis diſtentio, auctuſque in iis ſanguinis fluxus,

pro

pro causis excitantibus inserviant, quaecunque sanguinis cursum versus caput accelerare videantur, viz. calor externus nimius, exercitatio valida, pathemata violenta, et ebrietas, aegro caute seduloque evitanda sunt. Quando ex vi consuetudinis sola, morbus continuari videtur, ex tali consuetudine interrupta, omnibusque corporis moribus vitaeque genere mutatis, remedium validissimum verisimile est proventurum: Ergo in vitae decursu, cœli, diaetae, exercitii, aliarumque rerum mutatio insignis, morbum saepe expulerunt, atque ad eum sanandum pluris fuerunt quam caetera omnia remedia a nobis exhibita.

Epilepsiae sympathicae curatio, affectionis primariae amotione tentanda est; quare, hic loci, non tractabitur; unum exemplum utcunque, illud nimirum cum aura epileptica stipatum, nobis excipere liceat, de quo hic loci differere, haud alienum ducimus; quando in eadem corporis parte auræ sensus semper percipitur, vel scalpello excidenda est, vel caustico potentiori

exurenda,

exurenda, nisi hæc pars corporis saluti tam necessaria sit, ut sine detrimento summo hac parte non careat. In hoc exemplo, ad fonticulos et vesicatoria confugiendum est: his ex animo parum succedentibus, si opinio est auræ, nervi alicujus specialis extremitatem, originem præbere, nervus hic é vestigio dividendus est, uti in tetano perficere moniti sumus. Sed si in nulla certa, diversis vero partibus, temporibus diversis, sese ostendat, hæc aura; iter ejus cerebrum versus, membrum arcte fasciis vinciendo, impediri possit. Hoc autem nunquam negligendum sit, quoniam, ut monet sagacissimus ille Cullenus, "Preventing the fit breaks the habit of the disease, and frequent compression renders the nerves less fit to propagate the aura."

Nunc ad methodum, quo melius moderari aut removeri, causæ prædisponentes possint, considerandum pervenimus: quod præcipue indicatio curativa est. Corporis mobilitas nimia, vel casu vel labe hæreditaria inducta, plethora systematis

tematis morbida, atque ſtatus ille ſomni peculiaris, inter cauſas prædiſponentes annumeratus, ſola forſan indicia ſunt, quæ nobis in promptu eſt moderari. Exercitatione modica, ſub cælo egelido et ſereno, dieta tenui ſed ſatis nutrienti et eodem tempore concoctu facili, mobilitas hæc imminuitur; ſi balneum frigidum ſine incommodo æger tolerare poſſit, frequenter adhibendum eſt. Effectus admodum ſalutares ſæpe edunt ex regnis metallicis et vegetabilibus tonica ſumpta; inter vegetabilia, potentiſſimum eſſe videtur Cinchona officinalis, ſed hæc ſæpe parum ex animo procedit, et ſi adſit diatheſis phlogiſtica, plus mali quam commodi adfert. Imprimis idonea eſt cortex, in epilepſia illa, quæ reditûs, tempora metita obſervat, et quæ proclivitate nulla ad corporis plenitudinem ſtipatur: in talibus exemplis, cinchona duos vel tres dies ante paroxyſmi regreſſum, exhibita, nonnunquam experta fuit, impetus violentiam, non modo levare, ſed omnino cohibere. Aliud tonicum eſt, viſcus quercinus, ex cujus uſu, ſæpe derivati ſunt

effectus ſalutares; hi autem multó majores quam nunc, olim fuere, quando propter reverentiam ſuperſtitioſam, huic tonico tributam, horrores immanes terroreſque, ægrorum animos impleverunt, quorum utrique morbum ſanare inventi fuere: et quanquam inter cauſas ejus, terror enumeratus eſt, etiam pro remedio fuit. Ad corporis univerſi, præcipue vero ventriculi, tonum roborandum, præſcripta ſunt amara, quoniam ex corporis debilitate, ſemper plerumque debilitetur ſtomachus; inter hæc amara citri aurantii folia, a de Haen plurimum laudata fuere; ſed multa alia exhiberi poſſunt, quæ potentius corpus afficiunt, ideoque illis præponerentur: hæc utcunque, et ſimilia diu continuata, debilitare potius quam roborare ventriculum, ſolent, præcipue quando, ſub forma tincturæ exhibentur, quod ſpiritus vinoſi viribus, potius quam amari infuſi, tribuendum eſt. Inter tonica ex metallicis, imprimis plurimum celebrata ſunt, ex ferro, cupro, et zinco præparata. Ex ferro præparata, quamvis remedia potentiſſima,

in-

in corpore roborando; in epilepſia curanda, parum prodeſſe videntur; hujus utcunque cauſa fuerit, quod non ſemper in doſibus ſatis largis, morbi violentiæ accommodatis, exhibita ſunt. Ex cupro et zinco præparata, cum multo majore fructu propinantur, et inter omnes metallicas præparationes, cupri ammoniaretum dictum, longe efficaciſſima videtur; ejus potentiæ, quibuſdam exemplis, a ſcriptoribus medicis, prolatis, in epilepſia radicitus curanda; inter quæ, a noſtro profeſs. celeb. Duncano, unum in caſibus ſelectis memoratur, pueri, cujus valetudinem bonam reſtituit, hujus medicamenti uſu, ſub forma pillularum. A Gaubio oxidum zinci præſcriptum fuit, præ omni alia præparatione, utcunque, inutile ſemper inventum fuit, a Doctore Culleno, in omni ejus experientia. Zinci ſulphas, nuper multum celebratur, oxidum arſenici et ſtannum etiam in uſu ſunt, quorum illud, præcipue notatu dignum eſt; quod utpote tam potens eſt in febre intermitttente curandi, ex analogia, hic loci, etiam indicari videtur.

Hydrargyrus,

Hydrargyrus, ad salivæ fluxum copiosum ciendum, sumptus, cæteris omnibus remediis tentatis frustra, aliquo cum fructu usurpatus fuit. Magnis Burserii laudibus celebratur; atque exempli meminit Cullenus, in quo, usu ejus, sanitas ægro restituta fuerat, post alia multa sine fructu exhibita, et propter effectus ejus in tetano, summo jure, medicinam facientium, attentionem sibi vindicat. *Nitras argenti*, a Doctore Saunders ad hunc morbum curandum, nuper propositum metallicis annumerari potest.

Classis remediorum altera, ad corporis mobilitatem nimiam coercendam vel moderandam præscripta, Antispasmodica dicuntur. Quod ad horum usum reminiscendum est, ea semper, et fortasse solummodo maxime profutura, tempore, quo paroxysmi epileptici frequenter recurrunt, vel paulo ante paroxysmorum accessiones, qui post intervalla longa invadunt; continuari debet, quodcunque antispasmodicum exhibetur, ita ut effectus ejus in corpore non desinant, per

longum

longum tempus poſt paroxyſmum finitum; et hujus adminiſtrationis quod ad durationem, tempus, morbi violentiâ, et conſuetudinis mutatione in corpore effectâ, metiendum eſt. Etenim, non eſt dubium quin, tam hæc, quam aliæ affectiones nervoſæ, vi conſuetudinis ſolâ continuentur. Antiſpaſmodica, maxime in uſu ſunt, moſchus et opium, quorum ille raro præſcribitur, propterea quod ſine inquinatione non ſemper invenitur; at hoc, haud raro cum maximo fructu exhibetur. Si diatheſis phlogiſtica vero adſit, plurimum noceat, ſanguinis impetum verſus caput augendo, ideoque caute adhibendum eſt. Quando inter noctem graſſari ſolent paroxyſmi, violentiam eorum plerumque levat, vel recurſui prorſus obvenit opii granum unum, ſub decubitus tempore ſumptum. Datura ſtramonium, et hyoſcyamus niger, olim plurimum laudata fuere, et quoniam ab opio, parum aut nihil, quod ad effectus diſcrepant, vice ejus, quando non ſatis commode exhibere poteſt, ſæpiſſime

uſurpantur.

usurpantur. Alia antispasmodica sunt æther sulphuricus, valeriana officinalis, oleum animale: priora duo sæpe plurimum prosunt, in intervallis paroxysmorum, exhibita; posterius autem æthere sulphurico, valeriana officinali, lauro camphoræ, hyocsymo ngiro vel conio maculato, haud immerito præponitur: et Culleno in maximo pretio fuit, a quo ita monemur, "In some in-" stances where I could know exactly the pe-" riod of an epileptic accession, I could, by " giving a dose of the animal oil, prevent such " an accession." Currie ait se paroxysmi recursui, Nicotianæ cataplasmatum, ad scrobiculum cordis applicatione, horæ dimidium ante insultum ejus, onmino obviam ivisse.

Ad plethoram proxime attendendum est, quæ, utpote ex epilepsiæ causis prædisponentibus una, omni modo, quantum in nobis est, moderanda vel amovenda est: quando hæc adsit, cautissime usurpanda sunt, tonica et antispasmodica. Cor-

poris

poris plenitudinem, ſine dubio minuit, ſanguis in magna copia detractus, ideoque ad hoc remedium, quandocunque propter nimiam diſtentionem, vaſa cerebri ex ruptura periclitentur, confugiendum eſt. Huic remedio utcunque, etſi in præſentia ſanguinis quantitas in vaſis, ejus uſu, plane imminuitur; attamen, quoniam plenioris habitus regreſſui favet, nunquam recurrendum eſt, exemplo ſupra memorato excepto, ubi imminet maximum periculum.

Corporis plenitudine, multo tutius occurritur, ad dietam et exercitationem attentione debitâ, quam ſanguinis detractione; cibus tenuiſſimus ſit ex lacte et vegetabilibus, præcipue conſtans; catharticorum mitium uſu, alvus leniter deducenda eſt; fonticuli in collum inſerendi, caput radendum, et cum aqua frigida ſæpiſſime proluendum. Mala ex cubiculis calidis et tectis mollibus ægro permiſſis, provenientia, in ſtramentis duris, egelidoque conclavi decumbendi neceſſitatem, ei, ſatis ſuperque demonſtrant.

Sub

Sub cœlo temperato et ſereno, exercitium modicum aſſidue capiat æger, et balneo utatur frigido.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.